

$\pi$  n  
3039



QK 2v 23m

ORATIO

1.34

DE

HENRICO

LEONE DVCE

SAXONIAE ET

BAVARIAE.

Habita in Academia Rostochiana à

MAVRICIO VVACENIO

VVismariensi.



Wulfgangus  
Wilmardingius  
me iure possidet.

ROSTOCHII

Ex officina Stephani Myliandri.

Anno CID ID XXCII.

A at



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

NOBILISS. GE-  
NERE, ERVDITIO-

ne, & auctoritate viro,  
D. IOACHIMO von der Lütke,  
Illustrissimi Megapolitanorum  
principis Marescalco, Domi-  
no suo obseruandissimo

S. P. D.



Uum superioribus  
diebus oratiuncula  
hanc in Academia  
Rostochiana recita-  
re a D. præceptoribus iussus essem,  
deq; ea edenda mecum & cum a-  
micis hoc tempore deliberarem:  
fateor equidem me in adsciscendo  
huic meæ lucubratiuncula eiusmodi  
patrono, qui & ipse literis non

A 2 leuiter

leviter tinctus esset, Et nostram  
hanc operam probaret, diu animo  
fuisse suspensio. Etsi autem non  
paucos mihi memoria suggereret,  
quibus hoc qualecumque Henrici  
Leonis encomion ob amplissima  
eius in ecclesias Christi beneficia  
non ingratum esset futurum: ta-  
men in accurata illa disquisitione  
tu, vir nobilissime, pra multis  
alijs, is mihi visus es, cui eam  
multis Et quidem gravissimis de  
causis dicarem. Videbam enim  
te non solum bonas literas mirifi-  
co amore (quod hoc seculo rarum  
est) prosequi; verumetiam earum  
cultores singulari benevolentia ac  
libera

liberalitate complecti. Accedit  
huc (quòd maiorem mihi animum  
addere visum est) propensissima  
tua erga patriam meam volun-  
tas, & benevolentia haud obscura  
testificatio. Vnde factum est, ut  
tanto liberius Excellent. tuam ag-  
grederer, & leuicensi hoc munu-  
sculo illi me commendatum red-  
dere conarer. Quod me abundè  
consequutum putabo, si inter tot  
tuarum virtutum admiratores  
aliquem saltem mihi locum con-  
cesseris. Id verò te facturum,  
cùm singularis tua humanitas,  
tum ceteræ quas possides animi tui  
dotes mihi pollicentur; quas equi-

A 3 dem

dem pleno ore & verè prædica-  
rem, nisi, quemadmodum Euripi-  
pides ait, immodicas laudes eti-  
amsi veræ sint, graves & onero-  
sas esse scirem. Proinde diligen-  
ter etiam atque etiam te rogo &  
obtestor, ut quemadmodum ha-  
ctenus doctissimorum hominum  
scripta, ita etiam oratiunculam  
hanc tenuem & inopem eo quo  
soles, hoc est placidissimo & hu-  
manissimo vultu à me suscipias;  
susceptam legas, & si probabitur,  
aduersus obtrectatores tua au-  
toritate eam defendas: sin mi-  
nus, tamen velut perpetuum meæ  
erga te obseruantia testimonium  
habeas.



habeas. Benè & feliciter vale:  
ac me tua humanitate comple-  
ctere. Rostochio, Prid.  
Non. Ian. Anno  
à Christo nato  
1582.

Excell. & Mag. tuæ

observantiß.

Mauricius Vuaceniüs  
VVismariensis.

A 4 ORA.

ORATIO  
DE HENRICO  
LEONE, DVCE SA-  
XONIÆ ET BAVARIÆ.

**F**acile mihi persuaderi pa-  
rior, viri clarissimi & ado-  
lescentes studiosissimi, esse  
in hoc honestissimo con-  
gressu nonnullos qui fortasse mirentur  
audaciam seu malint temeritatem in-  
stituti mei; quod ego, qui vix dum  
bonarum literarum elementa primis,  
quod aiunt, labris degustauerim, ca-  
thedram hanc à doctissimis quibusq;  
antea occupatam intrepidus conscen-  
derim. Verum, si ijdem laudabilem  
hunc & à multis annis institutum mo-  
rem, illiusq; non contemnendas utili-  
tates, materiam denique quam in ma-  
nus sumpsi, considerare apud animum  
volent; certè parum, vel nihil omnino  
quod mirentur ipsis reliquum fore  
confido: præsertim (hoc enim luben-  
tissimè significo ac profiteor) quum  
neque

neque priuata auctoritate hanc pro-  
uinciam susceperim, neq; popularem  
quandam auram, quod quis fortè exi-  
stimet, captare voluerim. Etenim  
quum meo me modulo ac pede meti-  
rer, ac infantia meæ mihi optimè con-  
fcius essem, non rarò ab instituto ita  
deterritus sum, vt quauis ratione pe-  
dem retrahere, quàm curtam meam  
supellectilem in loco tam illustri non  
sine meo rubore explicare maluerim.  
Sed præceptorum, quorum iussu huc  
veni, iudicio ac voluntati obtemperan-  
dum fuit. Solent autem ij qui ad di-  
cendum in publicum prodeunt, maxi-  
mam in rebus, de quibus dicturi sunt,  
eligendis cautionem et diligentiam ad-  
hibere, vt eiusmodi quid dispiciant,  
cuius commemoratio auditores singu-  
lari voluptate adficere & in eorum pe-  
ctora cum suauitate quadam sese insi-  
nuare queat. In quo vt & ego exspe-  
ctationi vestræ satisfacerem, aliquid  
operæ posuisse me, non diffiteor. V-  
trum quod volui assequutus sim, tum

A 5

demum



demum liquidò constabit, ubi vos ora-  
tiunculam hanc non ex verborum ele-  
gantia, sed rei ipsius, quæ quidem ar-  
tificem desideraret præstantiorem, di-  
gnitate existimare sensero. Solent  
autem qui de hoc loco dicunt iuvenes  
ac viri doctrina singulari, iudicio acri,  
& disertæ linguæ facundia præstantes,  
varia tractare in suis declamationibus  
argumenta; inter quos laudem non  
postremam & illi merentur, qui in vi-  
rorum fortium præclaris facinoribus  
prædicandis & memoriæ prodendis  
studium non vulgare collocant. Eo-  
rum itaque vestigijs ego quoque insi-  
stens ( licet nostras vires tam præclaro  
ipsorum conatui non respondere posse  
intelligam ) verba faciam non de ijs  
quæ longè gentium, & multis retro  
seculis à viris summa virtute & forti-  
tudine præclarè gesta sunt; sed de no-  
stri Germanici inquam sanguinis He-  
roe pauca, quantum quidem temporis  
angustia patietur, in medium profe-  
ram. Quorsum enim attinet ea quæ  
domi

domi sunt foris petere, & quum tot  
extiterint & etiamnum alicubi existent  
duces & principes cordati ac strenui  
eorum virtutes debita prædicatione  
spoliare: quod qui faciat suæ gentis  
osorem, & animi prope nullius esse  
dixerim. Præterquam enim quod  
honestatis leges hoc ipsum à nobis fla-  
gitare videntur, vt quorum patrocini-  
tuti ab hostium incurfione fumus, eo-  
rum quoque laudes sepultas esse non  
patiamur: ipse quoque Deus, cuius  
illi donum, & vt poëta ait, *ἡμεῖς ἐσμεν*,  
seueriffimè præcipit vt Regibus, qui  
pro nostra salute caput periculis gra-  
uiffimis obiectare non dubitant, ho-  
norem debitum viciffim tribuamus.  
Quo autem magis illi ipsi non modo  
in Repub. & finibus regni tuendis, sed  
etiam Ecclesiæ defensione, ac vt Pro-  
pheta ait, nutrificatione desudarunt,  
tanto sunt colendi studiosius & enco-  
mijs ornandi elaboratoribus.

Consti-

Constitui itaque mei ipsius exer-  
cendi gratia oratione breui vitam  
ac res gestas præcipuas saltem ducis  
præstantissimi Henrici Leonis Saxo-  
niæ ac Bauariæ principis, qui hunc du-  
catum Megapolensem & vicinas re-  
giones ad fidem Christianam sua vir-  
tute compulit, percensere: quod dum  
facio vos quæso assiduam mihi operam  
date, & si quid fortè ieiunius à me di-  
ctum fuerit, & tanti herois virtutes in-  
genij mei culpa, vt Flaccus ait, detere-  
re videbor, id non voluntati meæ sese  
etiam superare cupienti (quis enim  
consultò sibi dedecori esset?) Sed fa-  
cultati, quam satis exiguam in me de-  
prehendo assignate.

Natus est Henricus Leo patre  
Henrico Duce Bauariæ, qui ortus ex  
nobilissima & antiquissima familia  
Guelforum, Gertrudem Lotharij Sa-  
xonis laudatissimi Imperatoris filiam  
vxorem duxit, vrbe Brunsviga dotis  
loco accepta: ex qua suscepit Henri-

7 obiit aō 1138. cum

cum cognomento Leonem, filium patre & nomine & virtutum omnium genere dignissimum. Anno 1139. pater Henricus dux Bauariæ & Saxonie relicto Henrico Leone paruulo ex hac vita decessit; *forte morbo n' qd passus e' re pulsã. & pag. 70.*

Vt autem fortes creantur fortibus, & bonis est in iuuenis, est in equis patrum virtus (sicut grauisimè poëta scripsit) ita in generoso stemmate natis motus animi præstantiores, & aciores ad virtutis decus & gloriam verè solidam sibi comparandam stimulos propagari consentaneum est. Quinimo decet & absq; controuersia æquissimum est, vt quemadmodum familiae splendore ac dignitate præ ceteris eminent: ita quoque omnium virtutum ornamentis supra ceteros mortales sint collocati. Nisi etenim qui summo loco nati sunt, ortus sui eminentiam virtutis cultura commendent, iam quid nobilitas est aliud (quemadmodum Ludouicus Viues eleganter dixit)

dixit) quæ nascendi sors & opinio à  
populi stulticia introducta: vera &  
solida nobilitas à virtute nascitur: stul-  
tum quæ est gloriari te parentem habuisse  
bonum, quam sis ipse malus, & turpi-  
tudine tua dedecori sis pulcritudini ge-  
neris. Sicuti autem eùphrà & naturæ  
bonitas ad res magnas consequendas  
plurimum habet momenti; ita vicif-  
sim egregia indoles liberali institutio-  
ne & educatione ad rectè sentiendum  
& viuendum mirificè adiuuatur. Do-  
ctrina enim (vt Flaccus ait) vim pro-  
mouet insitam: Rectiq; cultus pectora  
roborant: Vtunque defecere mores,  
Dedecorant benè nata culpæ. Vtrunq;  
Henrico Leoni abundè contigisse res  
ipsius sapienter ac fortiter immò diui-  
nitus gestæ testatum faciunt; quarum  
aliquas breuiter attingam, vbi prius  
ostendero, quo iure Saxonia ad ipsum  
peruenerit.

Patrem Henrico Leoni fuisse dixi  
Henricum <sup>supplum</sup> Catulum generum Lotharij  
Imperatoris. Is à locero Saxoniam  
dono

*Her ego non vici  
p. Catulū a meo dicit  
ris.*



dono accepit, de qua tamen cum Alberto Marchione Brandenburgensi armis disceptare coactus est. Henrico Cautulo vita functo Leo adhuc puer Saxoniae princeps ab Imp. Conrado III. confirmatus est, et deinde intercessionem Friderici I. (qui Barbarossa ab Italis dictus est) duplici iure aliàs sibi attributam retinuit. Auia enim eius paterna Magni Saxonie ducis filia fuit, quæ admodum & Alberti mater. Gertrudis autem mater Leonis, Lotharii Imp. & Saxonie ducis filia fuit, ut ita & isto adhuc iure ad ipsum redierit hæreditas. Postea idem Imperator controversiam quæ Henrico Leoni de Bavaria fuerat suborta in comitijs Ratisbonensibus diremit.

Nunc, quod me facturum recepi & huius loci proprium est, res ipsius pacè belloq; domi ac foris egregiè administratas quàm potero breuiter delibabo: Vos auditores humanissimi, dum summa sequor fastigia rerum, tantum viri heroica facta & virtutes eximias plenius

*Finit:  
à Saxon  
in tutela  
receptis*

plenius apud animum expendere, &  
quæ strictim attingo vberius ipsimet  
apud vos recolligere atque enodare  
potestis. Quoniam verò in numinis  
cultu ac erga Deum pietate *συλληθῶ  
πᾶσ' ἀρετ' εἰμι*, vt Nazianzenus ait;  
hanc quoque commemorationem à  
singulari eius religionem Christianam  
propugnandi atq; etiam amplificandi  
studio exordiri, animus est. Illud  
autem tantum in eo fuisse proditum  
est vt, quum Conradus III. Imp. in  
Saxoniam abiens cum principibus im-  
perij de vicinis Vandalis sub iugum  
Christi cogendis deliberaret, ipse hoc  
magno animi impetu & cum quodam  
prolubio in sese receperit. Impera-  
tor enim iisdem temporibus expedi-  
tionem in Asiam moliens, duplici bel-  
lo vnus vacare non poterat. Cæsar  
itaque exercitum satis amplum & au-  
xilijs probè ornatum impulsu D. Ber-  
nardi Clareuallensis conscripsit, eiusq;  
exercitus primam & maximam par-  
tem adiuncto sibi rege Franciæ Ludo-  
uico

uico maximis itineribus, labore summo, at exitu infelici, in Vngariam & Græciam ipse traduxit. Altera copiarum pars Coloniae & ex alijs Rheni ciuitatibus conflata rogatu regis Gallicie nauigio Lysbonam à Saracenis habitam traiecit, eamq; subegit. Tertium Cæsareæ multitudinis agmen cui Conradus dux de Zaringia, Albertus Marchio, Conradus de Vuithino vnà cum multis alijs qui voluntaria auxilia coniunxerant & nomina in sacram militiam dederant, Henricus Leo adhuc adolescens contra Vandalos idolatricis superstitionibus adhuc deditos, eduxit. Niclotus Obotritorum princeps, quum intelligeret bellum eiusmodi (cuius exitus ex altera parte cædem ostentabat, ex altera seruitutem) ad gentis suæ subuersionem suscipi; misit in vniuersam imperij sui regionem, vt se ad illud præpararent, patriamq; & ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defenderent. Ipse verò equitatus auxiliorumq; tantas copias, quan-

B tas

tas hæ gentes ad defendendam suam  
salutem libertatemq; conficere pote-  
rant, collegit. Sed Leo acriter & diu  
repugnantes ita tandem domauit, vt  
religionem Christianam amplecti, Da-  
nosq; quos ipsi in vinculis detinebant  
laxare cogerentur. Hæc de ijs quæ  
ab eo sub Conrado III. Imp. gesta  
sunt breuiter attigimus: nunc quæ re-  
stant attexemus.

Quamdiu erat in viujs Conradus  
III. Imp. qui Henrico Leoni in recu-  
peranda Bauaria restiterat, parum aut  
nihil in ea profecit. Sed vbi diem suum  
Imperator obiisset, anno post natum  
Christum 1151. Fridericus Sueuus, na-  
tus ex fratre Conradi Imp. Friderico,  
consensu ac suffragijs Electorum ad  
gubernationem Imperij Romani sub-  
uectus est. Etsi autem Fridericus vir-  
tutis togatæ ac militaris gloria infe-  
rior fuit nemini immò superauit mul-  
tos: de eo tamen hîc dicam parcius,  
quod eius vita & res gestæ in decla-  
matione à Dn. Philippo Melanch-  
thone

thone conscripta in omnium ferè sit  
manibus. Vnum tamen præterire  
minimè debeo, quod pacem initio  
imperij sui sine publico motu ac armis  
constituit. Controuersiam nanque  
inter Henricum Leonem et Albertum  
Vrsum de inferiori Saxonia sustulit  
composuitq̄, & duplici iure Saxoniam  
Henrico Leoni attribuit. His & si-  
milibus studijs atque beneficijs Fride-  
ricus Imp. Leonem ita sibi deuinxit, vt  
non solùm familiari consuetudine eius  
uteretur plurimùm, & se ab eo diuelli  
numquam pateretur; sed etiam co-  
mitem sibi propter peritiam rei mili-  
taris, magnitudinemq̄ animi sæpe ad-  
iungeret.

Anno 1155. Fridericus Barbarof-  
sa Imp. cum magno & firmo princi-  
pum equitatu & peditatu, omnibusq̄  
suis copijs Italiam ingressus est, vt Ro-  
mę de more coronaretur. Inter illos au-  
tem erat Henricus Leo cum Geroldo  
suo Aldenburgensi electo: quem quum  
Bremensis Archiepiscopus consecrare

recusaret, eo quod non legitime electus  
sed sola ducis assumptione ad eam di-  
gnitatem subuectus esset, Romam se-  
cum ibi à summo Pontifice consecran-  
dum perduxit. In hoc itinere, vt in  
cæteris, maximæ res Friderici Imp. au-  
xilio, virtute, ac prudentia Henrici Le-  
onis prosperè gestæ sunt. Historia  
longior est, quàm vt à me hoc in loco  
tota recenseri possit. Sed quid Impe-  
ratori suo præstiterit excerpam. Im-  
perator urbem ingressus, & à Ponti-  
fice susceptus, in scalis D. Petri bene-  
dictionis solenne munus accepit, ac  
Imperator populi Romani iam con-  
salutatus. Sed dum ea ita peraguntur;  
Romani à Pontifice propter consules  
nonnihil dissentientes, & eadem ratio-  
ne Imperatorem suspectum habentes,  
portas vrbis clausas tenuerunt. Fride-  
rici enim exercitus, quem adduxerat  
satis magnum, in pratis quæ appellant  
Neronis, castra posuerat. Romani tu-  
multuantes primum in Vaticanum eru-  
père: ac multos nec opinantes nihilq;  
tale

tale metuentes oppresserunt; adeo ut  
quoque in castra ausi sint procedere.  
Henrici autem Leonis copiae propius  
muros tentoria fixere. Milites itaque  
illius egressi magnam stragem in Ro-  
manos ediderunt, repulsis ad urbem,  
qui caedi superfuerant. Pontifex egre-  
gia Henrici & suorum virtute delecta-  
tus, postero die electum suum conse-  
crabat. Quam gratum verò Impera-  
tori officium hac in re prestitit, quan-  
taque ad amicitiam eorum accessio facta  
sit; facile quis existimare poterit. Etsi  
autem propter naturam eius genero-  
sam, magnanimam, veritatis ac iusti-  
ciae amantem apud Fridericum Imp. et  
alios maxima in gratia auctoritateque  
constitutus fuit; tamen eo plus laudis  
meruisse existimandus est, quod Chri-  
sti gloriam agnitionemque longè lateque  
spargere ac disseminare non sine motu  
bellisque gravissimis conatus est. Non  
enim tam propriam utilitatem quam  
soli Dei gloriam in expeditionibus  
illis contra Vandalos spectavit; cuius

etiam rei fructus amplissimos non im-  
merito percepit.

Anno igitur supra millesimum cen-  
tesimum sexagesimo exercitum nume-  
rosam & rebus necessarijs abunde in-  
structum contra eos iterum produxit,  
quo illorum vires ita contudit, vt antea  
nunquam. Nam hic ipse impetus Magno-  
polim quoque tetigit, iam quidem aegre  
Christianam, sed male ferentem iuga  
subiectionis. Niclotum principem O-  
botritorum collatis signis profligauit  
et oppressit; alterum ex filijs Vuerslaum  
captiuum abduxit; alterum datis obsi-  
dibus ex praescripto viuere ac facere co-  
egit. Captus autem Vuerslaus, quum se  
iam fratri penè in obliuionem venisse,  
suique memoriam ex illius animo efflu-  
xisse persuasum haberet; lacrymabiles  
epistolas è carcere ad germanum scri-  
psit, quibus exilij sui acerbicatem ac  
diuturnitatem ei in memoriam reduxit  
obnixè rogans, vt quantum quidem in  
ipso esset sese ex eo liberare conaretur.  
Vires illi siquidem vir esset, non de-  
futu-



futuras, & facile si modo anniteretur,  
iugum Saxonicum excussurum. Illum  
in delicijs desidentem facile obliuisci  
calamitatum quæ captiuos excru-  
cient: se verò, etiamsi velit, non pos-  
se non suæ cladis perpetuo sensu tor-  
queri; quum eius acerbicatem non  
modò singulis momentis refricari, sed  
etiam temporis longitudine multum  
augeri sentiat. In hanc sententiam  
quum scriberet fratri, interceptæ literæ  
ad ducem perferuntur. Pribislaus  
frater malo viriusque bellum suscepit,  
& vitam pro fratris libertate recupe-  
randa in discrimen posuit.

Henricus dux Pribislaum rupti fœ-  
deris arguens, fratrem V Verislaum  
pacis obsidem, quemq; restaurandi  
denuò belli facem fuisse deprehende-  
rat, in conspectu fratris iugulari iubet.  
Tandem multis ditionis Megapolitanæ  
partibus disturbatis, aut incensis, Pri-  
bislaus necessitate compulsus arbitrio  
Leonis victoris sese credere coactus

est. Qua deditioe id tamen obtinuit  
Pribislaus, vt prouinciam aliquam ad-  
ministrandam Leo ipsi redderet; & ali-  
quanto post, quum Henricus perduel-  
lis ab Imperatore Friderico iudicatus  
esset, in interiorem eius familiaritatem  
admissus Vuerlam & terram vicinam  
reciperet. Nam antea quidem occiso  
in acie Nicloto patre, Henricus Leo  
vastatis vndique oppidis coepit aedifi-  
care Suerinum, & communire arcem,  
cui postea Guncelinum virum indu-  
strium ac bellicosum cum firmissima  
& lectissima manu praefecit. Terram  
verò Obotritorum ducibus quibus-  
dam, viris rei militaris peritia clarissi-  
mis, ac quorum fides in rebus bellicis  
ipsi satis cognita & explorata erat, ad-  
ministrandam commisit, & in vicis aut  
captis aut malè pacatis praesidia collo-  
cauit.

Etsi verò non rarò accidit vt res  
secundæ, quemadmodum Sallustius  
ait, sapientum quoq; animos fatigent,  
& victoria saepe ex moderatissimis in-  
solentes

solentes faciat: tamen hic noster nullo  
vmquam tempore commisit, vt quem  
aduerso fortunæ statu inuictum, eun-  
dem quoque prospero rerum successu  
animum non habuisse videretur. Tan-  
tum abest vt illius, cuius victoria do-  
num est, Dei inquam erga se munifi-  
centiam ac protectionem neglexerit,  
aut ex animo elabi passus sit. Indicio  
esse poterunt plurima, quæ in Saxonia  
& Megapolensi ducatu magnis sum-  
ptibus & impensis fundauit, sacerdo-  
tum collegia. Quum enim intelli-  
geret dux sapientissimus se non sine  
singulari Dei beneficio fortuna tam  
fauente vt, ipsius quoque prouidentia  
res tantas acceptas referri oportere  
censuit. Eo igitur consilio Bernonem  
episcopum, defuncto Eberhardo, Me-  
gapolitanae Ecclesiae præfecit, & bona  
ecclesiastica plurima ipsi attribuit. Sed  
aliquanto post illum ipsum Episcopa-  
tum Suerinum transtulit, templo quod  
Cathedrale nominant satis magnificè  
& splendide ibi exstructo; primusq[ue]  
B 5                      sedem

sedem gubernationis vicinarum eccle-  
siarum in illud oppidum collocauit.  
Ut autem tantò vberior esset virorum  
pietate, doctrina, et virtute prestantium  
in istis locis prouentus; & doctrina de  
DEO rectius ac latius propagari &  
ad posteros transmitti posset; Race-  
burgi etiam primus Episcopatum con-  
stituit, & redditibus amplissimis dita-  
uit. Aldenburgensem verò Episcopa-  
tum Lubecam transtulit, & templum  
magnificum in ea condidit, vt etiam  
Brunsvigæ & alibi, quæ in hunc vsque  
diem permanent ibiq; visuntur. Vt ita  
Henricus Leo non modò dignus sit,  
cuius res præclarè ac feliciter gestæ  
recenti memoria teneantur, verùm  
etiam maxima eius in Ecclesiam be-  
neficia publicè quotannis celebrentur.  
Ipsius enim opera religio Christiana  
ad hos populos primùm translata  
fuit, liberalesq; doctrinæ, quibus solis  
debemus quidquid de maiorum no-  
strorum rebus egregiè gestis prodi-  
tum habemus, paulatim coli cœptæ  
sunt.

sunt. Nam ante eius tempora non  
modò impietas gentilis, verumetiam  
tam tetra barbaries in his & alijs locis  
vigebat, vt nihil ferè ab ea intactum  
euaserit. Hinc nanque est quod non  
sine summa rei literariæ iactura tot  
egregijs diuinorum ingeniorum mo-  
nimentis, quæ omnia Gothi & Van-  
dali orbis terræ vastatores deleuere,  
proh dolor, careamus.

Etsi autem Leonis pietas inde non  
obscurè deprehendi posset, quod sub-  
ditos suos tantis beneficijs, quanta iam  
breuiter sum persequutus, adfecerat:  
tamen ijs non contentus singularis de-  
uotionis ac religionis gratia longissi-  
mam & periculosissimam in Palæstinā  
profectionem suscipere decreuit: & ita  
rebus domi probè curatis ac dispositis  
iter ingressus est. Pribislaus quoque  
Vandalorum princeps ex alienissi-  
mo amicissimus duci Henrico reddi-  
tus discedenti pollicitus est, se ope-  
ram daturum vt, dum ille abesset,  
populum in officio & fide contineret.

Saxo.

Saxoniam præcipuè Vuichmanno Archiepiscopo Bremensi commisit: quem in bello contra se suscepto antea talem cognouerat, vt pace constituta fidem illi perpetuò habendam esse putaret. Itineris sacri comites Conradum episcopum Lubecensem, Henricum abbatem Brunsvicensem, eiusdem Conradi in episcopatu successorem, Bartoldum abbatem Luneburgensem, & Pribislaum principem Obotritorum, Guncelinum comitem Suerinensem, & Sifridum comitem Blanckenburgensem, & alios illustri loco natos sibi adsciuit. Dominam autem Mathildam vxorem suam, regis Angliæ filiam, iam prægnantem, domui præfecit gubernandæ, honestam illi adiungens familiam. Profectus post octauas Epiphaniæ, festum purificationis Mariæ peregit Ratisbonæ. Vbi præter modò dictos comites Henricum de Sudbach, & alium de Stire, marchiones sibi adiunxit: & ad vitricum suum Henricum Austriæ ducem diuertens, benignè ab eo

eo

eo susceptus honorificeq; habitus fuit;  
vsq; adeo vt vitricus adiunctis copijs  
eum Viennam Austriae comitaretur.  
In hoc itinere licet molestiae non paucae  
ipsi exhiberentur; tamen quantacumq;  
essent excelso animo ac forti pectore,  
& diuina protectione fretus eas pertu-  
lit. Byzantium vbi venit ab Impera-  
tore, qui ornatu regio, cum magnis  
Pontificibus, principibus, & optima-  
tibus aduentum eius expectabat,  
splendidissime exceptus, & satis ho-  
nорificè habitus est. Tandem ab Im-  
peratore dimissus & insigni naui do-  
natus ad terram sanctam perrexit;  
quam vbi ingressus esset, vota ibidem  
solenni ritu peregit, ita vt amplissima  
pietatis benignitatisq; suae illis in locis  
monimenta relinqueret.

Anno itaq; in peregrinatione illa  
consumpto domum incolumis rediit;  
& Brunsvigam veniens templum ibi a  
se constitutum multis vestibus auratis  
& sericis, quas secum attulerat, exor-  
nauit. Hinc fabula illa, tonsoribus ac  
lippis

lippis notissima, qua vulgus hominum  
& historiae prorsus ignari Henricum  
ex longinqua & diuturna peregrina-  
tione leonem domum secum adduxisse  
ferunt, nata esse putatur.

Circa hoc tempus Friderico Imp.  
cum Longobardis rebellionem moli-  
entibus negotium fuit; tantum quidem  
vt etiam ab imperio opem ad occur-  
rendum huic malo postulare cogere-  
tur. Quum. n. Cæsar in armis, quæ in I-  
talia habebat, non esse tantum præsidij  
quo motus illos componeret, iam sibi  
persuasum haberet; in Germaniam ma-  
gna celeritate contendit, vt imperij Ro-  
mani auxilium quod sibi non defutu-  
rum sciebat maturè imploraret. Ad sa-  
lutem. n. gubernationis ac imperij ma-  
ximè pertinere arbitrabatur, compri-  
mere Italiae, & inprimis Longobardiae  
audaciam, quò facilius etiam aliorum  
animi, qui alieni essent ab imperio Ro-  
mano frangerentur. Cæsar itaq; conuo-  
cato principum coetu causas illius belli  
& pericula, quæ ex eo oriri possent nisi  
suppe-



suppētias ferrent, exposuit, auxiliā  
quoq; et copias quā fieri possit maxi-  
mas sibi adiungi rogauit. Præ ceteris  
verò Henricum Leonem, duce[m] po-  
tentissimum & in rebus bellicis felicis-  
simum, cuius etiam dexteritatem ac  
prudentiam à multis iam annis cogno-  
uisset, precibus ad societatem belli hor-  
tatus est. Henricus autem ætatem &  
iam imminentem senectam, per quam  
pristinos labores tolerare nequeat,  
prætendit: ac ita vel reuerentia aucto-  
ritatis Pontificiæ, vel alijs causis addu-  
ctus Imperatorem tum temporis ab  
Alexandro Pontifice, qui eius belli au-  
ctor fuit, excommunicatum copijs suis  
iuuare recusauit. Quod Imp. ægerrimè  
ferens quo pacto se vlcisceretur cogi-  
tare coepit. Quauis autem aliàs satis  
in sensus esset Cæsar Leoni; accedebant  
tamē odia plurimorum principum, qui  
vel studio amplificandæ religionis, vel  
potentiæ dignitatiq; eius inuidebant, et  
ita (quod dici solet) oleum igni adde-  
bant, dum Imperatoris animum com-  
motum

motum magis inflammarent. Videbat  
tamen Fridericus Imp. omni laude cu-  
mulatus, nihil cōtra tantum principem  
temerè agi oportere. Frequenti itaq;  
principum senatu accusatum eum &  
horum sententijs condemnatum omni  
honore exiit et proscripsit, atq; vicinis  
vt eum è sua ditione immò tota Ger-  
mania pellerent, præcepit. Principes  
vicini, à quibus insidiæ illi paratæ sæpe  
fuerant, bellis eum sollicitarunt; quos  
tamen magna multitudine hostium  
occisa deuicit & profligauit. Impera-  
tor quum audiret eum felici victoria  
positum esse, exercitum collegit, et bel-  
lo eum aliquandiu persequutus est.  
Henricus itaque videns se inferiore  
Cæsare, utpote qui tot principum auxi-  
lio munitus esset, id quod proximum  
erat potentiori cessit, ac Friderico sup-  
plex factus est. Ille vicissim vicissitudi-  
nis rerum humanarum, & olim cum eo  
cultæ amicitiaæ memor, supplicem in-  
gratiam recipit. Quauis autem Fri-  
dericus pristino honori & gubernatio-  
ni

ni ob principum cōtra iurātum restituere  
non posset: tamen bono animo esse  
iussit, ac hortatus est vt finibus Imperij  
Romani, donec principum in eum  
animi mollirentur, excederet: & vt ex-  
ploratam spem reditus & salutis osten-  
deret, magnam Saxonie partem, quam  
materno iure haftenus tenuisset, ei at-  
tribuit & concessit.

Henricus Cæsaris consilium sequu-  
tus, & rationem temporis fortunæq; *Henric*  
quæ nullo in loco diu firma & immota *fur exilij*  
consistit, maximam habens anno 1181,  
in exilium ire constituit; ac in An-  
gliam ad sororium suum Richardum  
Angliæ regem, vxore ac liberis se-  
cum abductis, se recepit: apud  
quem honorificè acceptus & habitus,  
annos tres commoratus est. Di-  
gnum profectò tam cordato duce fa-  
ctum, quod honoris iacturam &  
exilij acerbitatem vltro experiri ma-  
luit, quàm communem Ecclesiarum  
C & sub-

& subditorum salutem ex suo comodo metiri,

Anno supra millesimum & centesimum octuagesimo quarto, quum Fredericus Imp. non ambitione aliqua sed Christianorum calamitate adductus expeditionem in Asiam suscepisset, Henricus, annis exilij sui elapsis, ex Anglia Brunsvigam reuersus est; & vires paulatim resumpsit: Stadensem, n. comitatum cum Holfatia recepit. Barduicum verò urbem potentissimam ac florentissimam copijs ingentibus contractis obsidione cinxit: & tandem ipsa die Apostolis Simoni & Iudæ sacra, fortiter expugnauit, & à militibus direptum funditus deleuit, & solo æquauit. Causa euersionis hæc maximè fuit; videlicet ignominia qua Henricus à ciuibus istius vrbis, quum in Angliam fugeret, adfectus erat. Lubecam deditione facta recuperauit; ac multas vrbes, arces, & ditiones, quæ eius imperio subiectæ & addictæ erant antea,

*Bardavi  
a W. C.  
um.*

antea, singulari. ei auxilio recepit:  
ipsisq; feliciter usq; ad finem vitæ suæ  
præfuit.

Postremò ætate matura, & labori-  
bus, varijsq; fortunæ casibus defati-  
gatus, Brunsvigæ diem suum placidè  
obijt; & ibidem in templo S. Blasij,  
quod ipse condiderat ac multis bene-  
ficijs ornauerat, sepultus est, Anno à  
Christo nato 1195. Ciues Brunsvigen-  
ses in sepulcro eius leonem fusilem, qui  
ibi adhuc visitur, ad cognominis me-  
moriam (quo ob animum infractum,  
& res fortiter gestas Leo dicebatur)  
conseruandam constituerunt: Et ho-  
dierna die illustrissimi principes Brun-  
svicenses & Luneburgenses leones in  
clipeis gentilitijs pro insigni gestant.

Hæc ferè sunt quæ de Henrico Leo-  
ne, duce Saxonix & Bauariæ, summa  
sequens fastigia rerum hoc tempore  
commemorare volui. Etsi autem hi-  
storia vitæ eius pace & bello actæ lon-

C 2

gior

gior est, quam ut a hac temporis  
(quod mihi ad dicendum prescriptum  
esse video) angustia recenseri tota pos-  
sit: tamen hæc ipsa qualiscunq; com-  
memoratio eximias tanti viri dotes, ac  
res præclarè administratas, quibus etiã  
ipsis Imperatoribus non modò non  
inferior, verumetiam æquandus fuit,  
non nihil adumbrat. Ut iam nemo sit  
quin ipsum perpetua laude & memo-  
ria dignum existimet; immò ab omni-  
bus & quidem optimo iure is censeri  
possit, non qui gloriam à maioribus  
tantùm partam quasi hæreditario iure  
acceperit: sed qui posteris virtute sua  
tanq; hesperus quidam præluxit. Ma-  
gnitudo certè rerum feliciter gestarum  
testatur eum non fuisse deditum luxui,  
aut alijs sordidis voluptatum illece-  
bris. Quin contra ex verissimis histo-  
riarum monumentis patet, eum cum  
omni virtutum genere ornatissimum,  
tum singulari pietatis & cultus diuini  
studio flagrasse. Multa enim collegia  
sacerdotum & episcoporum (quorum  
men-

mentionem super me fecit & emi-  
nistis) condidit & constituit. Quare  
etiam honestis eius conatibus Deus  
adfuit, & eum ad summum honoris,  
potentiæ, ac dignitatis fastigium eue-  
xit. Utinam verò nostri seculi princi-  
pes illius virtutes singulares & admi-  
rentur, & sibi ob oculos ad imitandum  
proponant: tum profectò Ecclesiæ  
prospectum esset melius, & Respubli-  
ca imperiumq; Romanum diuexare-  
tur minus.

Gratias autem vobis omnibus, viri  
clarissimi, & adolescentes studiosissi-  
mi, quàm possum maximas & incre-  
dibiles ago & habeo, quòd me huma-  
niter ac beneuolè audiueritis. Dein-  
de vos magnoperè hortor & rogo, vt  
qui eruditione & facundia longè mihi  
antecellitis simili orationum genere pa-  
triam, Ecclesiam, earumq; seruatores  
ornetis splendidius, eorumq; memo-  
riam studijs vestris ab interitu vindice-  
tis.

is. Quod quum  
optimum gratitudinis officium ijs vos  
præstitisse, ac magnam laborum ve-  
strorum mercedem laudemq; conse-  
quutos existimate.

Filio Dei, Domino nostro Iesu  
Christo, Emanueli & protectori Ec-  
clesiæ suæ supremo gratias toto pecto-  
re ago, quòd veram sui agnitionem, &  
vocem Euangelij, pietate & fortitudi-  
ne Henrici Leonis in hanc regionem  
propagârit; & in hunc vsque diem  
clementer conseruârît. Ac eundem  
votis ardentibus precor, vt in poste-  
rum quoque vsque ad consummatio-  
nem seculi perpetuus Rector Ecclesiæ  
& Academiae huius esse velit, & lu-  
men verbi sui clarissimum in nobis  
semel accensum extingui numquam  
patiatur: Illustrissimos etiam Mega-  
politianorum duces, Dominos ac nu-  
tricios nostros clementissimos, diu ad  
nominis sui gloriam & subditorum  
suo-



suorum salute  
esse dignetur: D. D. Praeceptores  
nostros & alios in templis ac  
scholis docentes longæuos fa-  
ciat; & nos omnes spiri-  
tu suo illustret, regat,  
atque conser-  
uet.

D I X I.



*Die 17  
B. 17*

24 11 30

24





**ULB Halle** 3  
004 830 059  






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

*QK 2. vi. 23<sup>m</sup>*  
 125. **ORATIO** *1.34.*  
 DE  
**HENRICO**  
**LEONE DVCE**  
 SAXONIAE ET  
 BAVARIAE.

Habita in Academia Rostochiana à

**MAVRICIO VVACENIO**  
 VVismariensi.

*Wulfgangus  
 Wilmarthensius  
 me iure possidet.*

**ROSTOCHII**  
 Ex officina Stephani Myliandri.  
 Anno MDCCXXII.

*A dt*

